



Per.
Lat
020

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum est pro Hungaria
3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.


Megjelenik Budapest, I. kerület, Verpeléti-út 22.,
tízszor egy évben. Előfizetési ára évi 3 pengő; kül-
földön 4 pengő.

Posonium et Cassovia.


Tristissimo nobis in Trianon imposito foedere pacis hostes non modo agrorum fecundissimorum nostrorum magnaque in montibus sitorum copia thesaurorum, sed etiam celeberrimis Hungariae urbibus potiti sunt. Quarum duae maximae omnibus Hungaris flebiles adversissima nobis sorte ab auctoribus pacis Bohemis donatae sunt.

Posonium et Cassovia! Utraque urbs sanctissima est nobis omnibus. Monumentis earum vita Hungariae mille annorum indicatur. Posonii nunc quoque stant antiqui arcismuri, quae iam primum regem nostrum, Sanctum Stephanum vidit, superest aedificium Academiae Istripolitanae, quod rex Mathias erigendum curavit, cathedralis, ubi Petrus Pázmán, cardinalis scriptorque ille celeberrimus, orationes habebat et ubi innumerabilis regum nostrorum series corona regia ornata est, anti-

quissimaque domus, ubi multis saeculis leges Hungariae ferebantur. Urbs Cassovia quoque aedificiis saeculorum veterum pristinae populi nostri vitae admonet nos. Ne numerentur nunc alia, sed in huius templo sepulchrum quiescere principem quondam Transylvaniae nec non Hungariae, ducem belli



Posonium. — Arx.



Cassovia. — Ecclesia cathedralis.

pro libertate gesti, Franciscum Rákóczi II. quis ignorat?

Si quis putat Bohemos donis victoria populorum magnorum occidentalium acceptis tranquille frui concordiamque cum incolis indigenis¹ quaerere maxime errat. Illi sorte sua secunda ebrii Hungaros in utraque urbe non secus in ceteris omni modo vexant, opprimunt humiliantque.² Posonii ante bellum Hungaros et Germanos aequo numero habitavisse, Cassoviae autem fere omnes incolae Hungaros fuisse et ne unum quidem Bohemum in his urbibus inveniri potuisse maxime constat. Sed nunc Bohemi iura sua falsa affirmaturi censu civium corrupto Hungaros in neutra urbe numerum viginti centesimarum³ adaequare dicunt publiceque scribunt. Quamvis imperium novum magnam Hungarorum partem his urbibus expulerit multique in paupertatem redacti e patria emigraverint, tamen multitudinem pristinam adeo deminutam esse quis credat?

Sed Bohemi non modo ideo numerum civium in censu mutaverunt, ut hoc falso nuperrime acceptas rei publicae suae artius

annecterent⁴ partes, sed ideo quoque, ut Hungaros omni iure civili spoliarent. Iam prius enim legem tulerunt, qua minoribus partibus⁵ omnia iura publica denegantur exceptis urbibus regionibusque, ubi numerum viginti centesimarum adaequent. Cui legi nunc adnixi vetant Hungaros scholas Hungaricas habere, linguam paternam publice docere eademque in publicis conventibus urbis uti. Itemque hac lege inscriptiones Hungaricae nomina viarum indicantes de muris tolluntur,⁶ immo etiam fabri mercatoresque Hungaricis uti inscriptionibus vetantur. Nemo est, qui nesciat eos ephemerides Hungaricas omni modo opprimere et ne societates

quidem litterarum pati, ut sensus nationalis ex animis Hungarorum extirpetur.

Sed «Lux in tenebris lucet». Qua luce animi oppressorum firmantur mentesque omnium gentium illustrantur, ut hostium nostraque acta bene iudicantes merita dent nobis iura. Nos iustitia gentium confisi patienti expectamus animo diem, quo Hungaria resurget et «debellabuntur superbi». (Zalaegerszeg. S.)

¹ őslakók ² megaláz ³ százalék ⁴ hozzácsatol
⁵ kisebbségek ⁶ eltávolítottak.

H Y M N U S.

Iesu Redemptor omnium,
Quem lucis ante originem
Parem paternae gloriae
Pater supremus edidit.

Tu lumen, et splendor Patris,
Tu spes perennis¹ omnium,
Intende² quas fundunt preces
Tui per orbem servuli.

¹ örökkétartó ² (sc. animum :) figyelj, hallgasd meg.

Memento, rerum³ Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo⁴ Virginis
Nascendo, formam sumpseris.

Testatur hoc praesens dies,
Currens per anni circulum,
Quod solus e sinu Patris
Mundi salus⁵ adveneris.

Hunc astra, tellus, aequora,
Hunc omne quod coelo subest,
Salutis Auctorem novae
Novo salutatur cantico.⁶


Et nos, beata quos sacri
Rigavit unda sanguinis;
Natalis ob diem tui
Hymni tributum solvimus.⁷

Iesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula.

Amen.

(E Breviario.)

³ a mindenség ⁴ méhéből ⁵ a világ üdvösségként
⁶ énekkel ⁷ adóját lerójuk.



LECTARIUS MINIMIS.

De tuba¹ aurea.

(Ad narrationem Hungaricam Francisci Herczeg.)

Pro aede Beatae Mariae Virginis puellus quidam venditabat² acta diurna.³ Misellus ille macerrimus⁴ alioquin⁵ ieiunio,⁶ etiam veste rara erat contactus. Multi eum praeteribant nil curantes conditionem⁷ eius miseram, cum tandem vir venit spisso⁸ indumento⁹ bene vestitus. Qui cum puerum conspexisset substitit nummulisque e marsupio¹⁰

prolati¹¹ aliquamdiu lustrabat¹² eos oculis, sed mutato confestim consilio florenum¹³ argenteum ei tradidit.

«En pecunia,» ait puero, «hoc die natali Christi te quoque beatum felicemque esse cupiam!»

Puellus oculis rigentibus¹⁴ florenum intuebatur. In altera viae parte vetula¹⁵ quaedam mulier exspectabat puerum, cui ille florenum tradidit. Vetula gaudio elata¹⁶ in cachinnos effusa est,¹⁷ tum porrecta¹⁸ dextera ad suburbium¹⁹ puellum duxit. At vix quoddam stabulum²⁰ sub aspectum cadebat,²¹ mulier substitit fluctuans animo²² ingredereturne illud, tum pro nummo argenteo crucigero²³ puello dato: «Emito, Iosephule» — ait mulier — «quodcunque vis crucigero, me autem maturata regressione²⁴ exspectato in solito loco!» Et his verbis puero, ut abiret, suadens, ipsa in stabulum irrepsit.²⁵

Iosephulus lento pede viae se commisit.²⁶ Ante fenestras tabernarum multa secum agitabat, quid nummulo emeret. Miro enim tenebatur canendi tuba desiderio iam ex quo tempore mentis compos erat.²⁷ At tubae, quas in fenestris expositas videbat, non placebant ei. Etiam sciebat puerulus admodum scitulus²⁸ hodiernum quemque diem alterum quoque sequi opusque sibi pecunia illa fore. In viis ultro citroque²⁹ errans iterum ad aedem sacram revertit, ante cuius fores torpidus frigore aliquantum temporis saltabat saltationem illam tremulam,³⁰ mox lassitudine confectus³¹ in gradibus consedit. Nives plumeas,³² quae e caelo decidebant, mirabundus intuebatur. Sed repente se non solum esse animadvertit. Videlicet conspexit mulierem mendicantem³³ sedentemque in summo gradu, quae parvulum sinu tenebat puerum. Pauper illa mulier dexteram supplex ad Iosephulum tendebat, qui nummulum iam pressione digitorum tepidum³⁴ illi tradidit.

1 trombita 2 : rulgat 3 ujság 4 sovány 5 egyéb-
ként is 6 koplalás 7 állapot 8 vastag 9 kabát
10 erszény 11 elős ed 12 szemügyre vesz, vizsgálát
13 forint 14 meredt 15 vén 16 ujjong 17 kacagásra
fakad 18 nyujt 19 külváros 20 csapszék 21 előtűnik
22 habozva 23 krajcár 24 gyorsan viszatérve 25 be-
surren 26 útra kef 27 eszénél van 28 ugyancsak
okos 29 ide s tova 30 didergő 31 elfáradva 32 hó-
pelyhely 33 ko duló 34 átmelegedett.

Quo facto puer surrexit aufugiturus, nam puduit eum magnanimitatis suae. Sed anicula³⁵ nomen eius clamitabat voxque illa mitis dulcisque sonabat. Citharae³⁶ vocem audire putares. Et Iosephulus mulierem agnovit: ipsa erat Beata Virgo Maria, puerulus autem, quem sinu tenebat, Iesus erat parvulus.

«Iosephule» dixit Mater Caelestis, «veni mecum!»



Ambae templi fores tunc ipsum aperiebantur, intus autem mille cerei³⁷ fulgebant. Inter duas naves turba severa³⁸ angelorum stabat, alius iuxta alium omnesque veste splendida erant induti. Iosephulus demisse³⁹ ac verecunde cum Virgine Beata incedebat.

Ventum est ad altare. Ibi imago Beatae Virginis ceteroquin tabulā marginatā inclusa⁴⁰ in valvas⁴¹ mutabatur vinculis argenteis obductas.⁴² Per apertas valvas confestim in aethera egressi sunt.

In via itabant nivibus obruta;⁴³ super albis frondibus luna plenis luminibus⁴⁴ lucebat. Brevi aliud conspexerunt lumen, micans ex arbore (natalicia⁴⁵ autem, quae vocatur erat) idque solum in vastitate regionum nivosa⁴⁶ fulgebat.⁴⁷ Cerei innumeri in arbore ardebant, rami vero eius onere rerum

pretiosissimarum usque ad solum declinabant. Porro aliae quoque radiabant⁴⁸ arbores numerusque earum usque multiplicabatur.

«Silvam vides, Iosephule, arborum nataliciarum», dixit Virgo Beata Maria voce remissa.⁴⁹

Silva flagrare videbatur luminibus cereorum, quorum lenem crepitum⁵⁰ mirabundus puer auscultabat.⁵¹ Pini⁵² adustae⁵³ suavissimos exspirabant⁵⁴ odores. In silva progressi tandem ad locum rotundum, arboribus plane vacuum⁵⁵ venerunt; in medio ramos unica pandebat⁵⁶ arbuscula⁵⁷ et ex ea unicum pendebat donum natalicium:⁵⁸ tuba aurea, mira pulchritudine.

«Accipe hanc tubam, mi fili» ait regina Caeli. «Parem eius nemo habet puerorum. Si quid autem unquam desiderabis, infla eam⁵⁹ et illico voti compos eris.»⁶⁰

Iosephulus digitos frigore iam iam torpidos⁶¹ ad tubam extendens: «velim» ait modeste,⁶² «nunquam deinceps algeam⁶³ aut fame urgear⁶⁴ vel vapulem,⁶⁵ si nullos domum portabo nummulos.»

«Infla modo tubam, et habebis quodcumque vis» dixit subridens⁶⁶ puello Virgo Beata.

Et Iosephulus inflavit tubam, quae tam dulcem edidit sonitum, ut, qui audiebant, mirabundi auscultarent. Tunc Beata Virgo Maria frontem Iosephuli osculo contigit.⁶⁷ Silva tot igniculis⁶⁸ flagrans⁶⁹ flammam concepit,⁷⁰ Iosephuli autem omnia membra calore⁷¹ calescebant iucundo corque eius beatitudine implebatur. Etiam sentiebat puellus nullo se deinceps malo cruciatum iri.

Nocte intempesta⁷² aedituus⁷³ templi foribus ad missam nocturnam⁷⁴ reseratis⁷⁵ in trivium⁷⁶ cucurrit ibique custodem publi-

³⁵ vénasszony ³⁶ hárfa ³⁷ gyertya ³⁸ szigorú, komoly ³⁹ alázatosan ⁴⁰ keretbe foglalt ⁴¹ szárnyasajtó ⁴² ezüstpántos ⁴³ hóborította, behav: zott ⁴⁴ teljes fényében ⁴⁵ karácsonyfa ⁴⁶ hópusztaság ⁴⁷ világlik ⁴⁸ fénylik ⁴⁹ halkán ⁵⁰ sercegés ⁵¹ figyel ⁵² fenyő ⁵³ megpörkölt ⁵⁴ terjesztettek ⁵⁵ egy kerek tisztásra ⁵⁶ terjesztette ⁵⁷ fácska ⁵⁸ karácsonyi ajándék ⁵⁹ fújj bele ⁶⁰ eléred vágyadat ⁶¹ megmerevedett ⁶² szérenyen ⁶³ fázik ⁶⁴ gyötör az éhség ⁶⁵ kikap ⁶⁶ rámosolyog ⁶⁷ megcsókol ⁶⁸ apró tüzeztől ⁶⁹ égő ⁷⁰ lángot vet ⁷¹ melegség ⁷² késő éjjel ⁷³ sekrestyes ⁷⁴ éjféli misére ⁷⁵ felnyit ⁷⁶ keresztút.

cum⁷⁷ compellans:⁷⁸ «Puerum inveni» dixit horrore perfusus,⁷⁹ «frigore confectum⁸⁰ in limine templi. Venditorem eum actorum diurnorum esse autumo.»⁸¹

«Mortuusne est ille?» interrogavit aedituum custos publicus.

«Ita. Crucigerum tenet misellus digitis compressis.»

Custos publicus nullum responsum reddidit, sed thermopolium,⁸² quod primum offendit⁸³ ingressus per filum aëneum⁸⁴ medicos accessivit.⁸⁵

⁷⁷ rendőr ⁷⁸ megszólít ⁷⁹ rémulten ⁸⁰ megfagyott ⁸¹ azt hiszem ⁸² kávéház ⁸³ bukkan, előtálál ⁸⁴ telefon ⁸⁵ hiv.

EX AUCTORIBUS ROMANIS

Eutropii

Breviarium Historiae Romanae.

Liber septimus.

CAP. XXI. Huic¹ Titus filius successit,² qui et ipse Vespasianus est dictus, vir omnium virtutum genere mirabilis adeo, ut amor et deliciae humani generis³ diceretur, facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus. Causas latine egit, poemata et traegodias graece composuit. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans XII propugnatores⁴ XII sagittarum ictibus confixit.⁵ Romae tantae civilitatis⁶ in imperio fuit, ut nullum omnino puniret, convictos⁷ adversum sese coniurationis ita dimiserit,⁸ ut in eadem familiaritate, qua antea, habuerit. Facilitatis⁹ et liberalitatis¹⁰ tantae fuit, ut cum nulli quidquam negaret et ab amicis reprehenderetur,¹¹ responderit, *nullum tristem debere ab imperatore discedere*,¹² praeterea cum quodam die in coena recordatus fuisset, nihil se illo die cuiquam praestitisse,¹³ dixerit: *amici, hodie diem perdidit*. Hic Romae amphitheatrum aedificavit et quinque milia ferarum in dedicatione¹⁴ eius occidit.

CAP. XXII. Per haec inusitato favore dilectus morbo periit in ea, qua pater, villa¹⁵ post biennium, menses octo, dies XX, quam imperator erat factus, aetatis anno altero et quadragésimo. Tantus luctus eo mortuo pu-

blicus¹⁶ fuit, ut omnes tanquam in propria doluerint orbitate.¹⁷ Senatus obitu ipsius circa vesperam nuntiato nocte irrupit in curiam et tantas ei mortuo laudes gratiasque concessit,¹⁸ quantas nec vivo unquam egerat nec praesenti. Inter Divos relatus est.

CAP. XXIII. Domitianus mox accepit imperium, frater ipsius iunior, Neroni aut Caligulae aut Tiberio similior, quam patri vel fratri suo. Primis tamen annis moderatus in imperio fuit, mox ad ingentia vitia progressus, libidinis, iracundiae, crudelitatis, avaritiae, tantum in se odii concitavit,¹⁹ ut merita et patris et fratris aboleret.²⁰ Interfecit nobilissimos ex senatu. Dominum se et deum primus appellari iussit. Nullam sibi nisi auream et argenteam statuam in Capitolio poni passus est. Consobrinos²¹ suos interfecit. Superbia quoque in eo exsecrabilis²² fuit. Expeditiones quatuor habuit, unam adversum Sarmatas, alteram adversum Catos, duas adversum Dacos. De Dacis Cattisque duplicem triumphum egit, de Sarmatis solum lauream usurpavit.²³ Multas quidem calamitates iisdem bellis passus est. Nam in Sarmatia legio eius cum duce interfecta et a Dacis Oppius Sabinus consularis et Cornelius Fuscus, praefectus praetorio, cum magnis exercitibus occisi sunt. Romae quoque multa opera fecit, in his Capitolium et Forum transitorium,²⁴ Odeum, Divorum Porticus, Iseum, Serapeum ac Stadium. Verum cum ob scelera universis exosus esse coepisset, interfectus est suorum coniuratione in palatio anno aetatis XLV., imperii quinto decimo. Funus eius cum ingenti dedecore per vespillones²⁵ exportatum et ignobiliter est sepultum.

¹ t. i. Vespasianust ² követte az uralkodásban ³ az emberi nem szeretete és gyönyöre ⁴ ellenséget ⁵ (átdőf), leterít ⁶ engedékeny ⁷ akikre rábizonyult ⁸ megbocsát ⁹ barátságos, szíves ¹⁰ bőkezű ¹¹ fedd, megró ¹² a császártól senkinek sem szabad szomorúan távoznia ¹³ senkivel sem tett jót ¹⁴ felavatásán ¹⁵ azaz reatebéli jószágán ¹⁶ akkora volt az általános gyász ¹⁷ megfosztottság, árvaság ¹⁸ a halottal szemben oly dicsőítést és hálálkodást tanúsított ¹⁹ akkora gyűlölséget keltett fel maga iránt ²⁰ megsemmisít, tönkretesz ²¹ ánokatestvér ²² gyűlöletes, undort keltő ²³ igénybe vesz, igényel ²⁴ mint átjárót a Forum Rom. és az Argiletum között ²⁵ sirásó.

Domus aurea. (4.)

Ad fabulam *Felicis Nabor* Latine scripsit *Valentinus Fehér*.

IV. Coniuratio.

Eius diei mane Claudia in cubiculo amicos exspectans se percolebat.¹ Necesse enim habebat hoc facere, propterea quod iuvenilis pulchritudo iam pridem defloruerat² atque oculi attentius intuentes lineas in vultu animadvertere poterant. Has tolli³ et turbata supercilia⁴ componi⁵ oportuit: namque vana illa femina nil habebat antiquius,⁶ quam suam pulchritudinem. Ceterum neque ingeniosa⁷ neque dives erat. Cum vir eius Pansa in cursu maritimo procella coorta perisset, Claudia parum doluerat. Parva re familiari mox decocta⁸ nihil iam habebat, nisi parvam domum et pulchritudinem celeriter deflorescentem atque aes alienum, quod iucunde vivendi causa contraxerat.⁹ Illis annis iam paene omnino amici eam sustentabant¹⁰ atque etiam aes alienum nonnunquam dissolvebant. Iucundissimum habebat studium ludendi, tamen paene semper in ludendo perdebat.

— Nondum venit Rufus? — quaerit ex servabus, cum plane exornata esset.

— Nondum, hera — respondet una, — sed Placidus Proculus praefectus in atrio praestolatur.¹¹

Claudia exiit in atrium, ubi praefectus iam impatiens deambulabat.

— Salve — inquit — pulchra Claudia. Res gravis urget, ut ad te veniam. Creditores nomen tuum detulerunt.¹²

— O illos impudentes! — clamat Claudia. — Absterre, quaeso, eos a me. Quid solvam? Nullum assem habeo. Dissolve creditoribus aes alienum aut iube eos suspendi.

— Neutrum facere possum — ait praefectus. — Ego quoque nullam habeo pecuniam.

Claudia, quae deambulaverat, constitit et candidis dentibus labra momordit.

— Ergo nulla est spes salutis?

— Est una — respondet Proculus. — Via, quae fert ad finem propositum, pulchra est atque rosis conspersa: nube pingui illi Rufo.

— Recte putas — ait Claudia. — Hodie Rufum adducam,¹³ ut decernat. Sed creditores...

— Iam ego, pulchra Claudia, illos sedabo...¹⁴ tamen ea condicione, si post initum vestrum conubium caveris,¹⁵ ut filiam eius uxorem ducam.

Claudia deiectis oculis paulum haesitabat, propterea quod idem iam Prisco promiserat. Sed quid suā referre,¹⁶ praefectus, an Priscus Fulviam uxorem duceret? Caput esse¹⁷ Fulviam exire domo seque eo migrare.

— Agedum, — inquit Proculo manum porrigens, — sit, ut cupis. Per deos iuro Fulviam tuam esse futuram. Sed ego quoque excipio,¹⁸ ut omni tua auctoritate utaris, quo prius Rufus mecum ineat matrimonium. Facies hoc, Procule?

— Faciam, quod vis — respondet Proculus.

Tum domo egressus in lecticam conscendit et ad Rufum se portari iussit.

Eo temporis momento¹⁹ Fulvia ad domum Claudiae pervenit. Ubi praefectum inde exire vidit, obstupuit. Quid velle Proculum apud Claudiam? Iam haesitabat, praestaretne²⁰ domum redire, tamen mox Claudiam convenire decrevit.

Claudia vehementer obstupuit, quod Fulvia necopinato apud se adfuit. Veruntamen callide subridens brachiis extentis ad Fulviam aggressa eamque complexa atque osculata est.

Fulvia liberali hospitio maxime perturbata est. Apud Claudiam assidens vix aures verbis eius blandissimis adhibebat. Claudia de superioribus ludis gladiatoriiis, quibus interfuisset atque de itinere locuta est, quod in Capreas facere pararet.

— Cum multos — inquit voce flebili — habeam amicos, tamen saepe solitariam me esse sentio. Amicam fidelem, domum quietam desidero. O quam velim, inter nos amicae fiamus!

— Agedum, Claudia — ait Fulvia, — si hoc vere desideras, dicam modum, quo inter nos amicae fiamus: deponere consilium cum patre meo ineundi conubii.

Claudia «carissima amica» a se retrusa oculis ira ardentibus surrexit.

1 csinósít 2 elvirágzik 3 eltüntet 4 szemöldök
5 rendbehoz 6 fontosabb 7 szellemes 8 eltékozol
9 csinál 10 eltart 11 várakozik 12 bevádol 13 rávesz
14 lecsillapít 15 biztosít 16 mit bánja ő? 17 földolgoz
18 kiköt 19 abban a pillanatban 20 jobb.



— Ideone ergo ad me venisti? — clamat acri voce. — Non me tu, Fulvia, recte novisti. Nescis, quantum ego amare atque odisse sciam.

— Iram tuam non timeo — respondet Fulvia. — Id unum caveo, ne domui nostrae calamitas ac dedecus afferatur. Dedecus enim esset, si tu, femina spurca²¹ atque impura,²² in locum matris meae succederes. Nunquam hoc patiar.

— Aude in me contumax esse — clamat Claudia irata, — iam ego te perdam atque contundam.

— Minas tuas non metuo — ait Fulvia. — Ego pro nostra honestate pugno, tu vero abiecta²³ et avara es atque utilitati tuae servis neque in recta via grassaris.²⁴ Cum bona pace²⁵ te convenire volui... tu non vis.

— Nolo. Pugnam volo; videbis me victuram esse. Arma mea non novisti, tu stulta. Cognosces ea et tremes.

— Ego te non timeo. Ego quoque habeo arma iustitiae.

Fulvia superba firmo gradu domum Claudiae reliquit. Cum domum redisset et patri narravisset, quid inter se et Claudiam accidisset, pater iratus exclamavit:

— Ne tu maledica atque ingrata es. I in villam, ne amplius hoc limen transgrediaris.

Fulvia doloris plena iussum caeci patris secuta est.

Eo vespere Rufus ad Claudiam se contulit, cum donis eam placaturus. Tamen Claudia illum ad se non admisit, hoc modo sperabat eum maiore igne amoris arsurum. Revera amor, qui in animo Rufi ardebat, vehementius flagrare coepit.

Tertio die quum Rufus cum gemmis,²⁶ margaritis²⁷ aureaque armilla²⁸ rursus eam viseret, intromissus est ad feminam callidam. Claudia aegrota esse videbatur. Quod ubi Rufus vidit, accidit ad pedes eius et per deos iurans promisit se ubi primum fieri posset, illam uxorem ducturum. Simul anulum gemmatum Claudiae tradidit.

Tamen Claudia, cum versuta²⁹ esset, magis scripta pactione³⁰ quam anulo confisa scribam publicum³¹ arcessivit; Rufus conceptae³² pactioni nomen subscripsit.

Hanc rem celabat filiam, sperans illum

tempore procedente³³ resistere omissuram et acquieturam re, quae mutari non posset.

Rufus felicem se sentiebat et de longa beataque vita somniabat.

²¹ mocskos ²² tisztátalan ²³ aljas ²⁴ jár ²⁵ békésen ²⁶ drágakő ²⁷ gyöngy ²⁸ karperec ²⁹ ravasz ³⁰ szerződés ³¹ közjegyző ³² megfogalmazott ³³ idővel.



Iocosa.

Pater cum filiolo trium annorum e vinea domum properans, — ut parvulus gradum celeraret¹ — timorem ei iniecturus:² «Filirole — inquit — advesperascit;³ festinemus, brevi nox atra incubabit⁴ terrae...»

Cui filiulus: «Carissime patercule,⁵ etiam ego hic sum: *noli timere!*» *Alexius Czuppon.*

De astris⁶ agitur⁷ in schola.

Magister: Solem an Lunam plus utilitatis nobis praebere dicamus?

Discipulus: Lunam.

Magister (mirabundus): Qua de causa?

Discipulus (superbe): Quia Sol die lucet, utique⁸ nobis luce abundantibus, Luna autem nocte, cum caremus luce. *Idem.*

Cavillum.⁹

Viator inter cenam ad cauponam: «Munditiam¹⁰ istam cauponulae tuae lautissimam¹¹ dixerim...»

Caupo subridens¹² gaudio: «Unde hoc colligis?»¹³

Viator: «Ex eo, quod omnes cibi et potiones olent... *saponem!*»¹⁴ *Idem.*

Ultio insolita.

Quidam cantor, medicamentario¹⁵ iratissimus, cum pompa funebris tabernam medicamentorum¹⁶ praeteriret, magna voce cantabat: Contra vim mortis non est medicamen...¹⁷ *Idem.*

¹ jobban siessen ² félelmet kelt ³ esteledik ⁴ borul ⁵ atyácskám ⁶ égítest ⁷ van szó ⁸ különben is ⁹ csípős tréfa ¹⁰ tisztaság ¹¹ pompás ¹² mosolyog ¹³ következtet ¹⁴ szappan szaga van ¹⁵ gyógyszerész ¹⁶ gyógyszerész ¹⁷ orvosság.

Duo homines convenerant. Cum tempus frigidum esset, unus palmam¹⁸ usque inflavit.¹⁹

— Quid agis? — interrogat alter.

— Palmam calefacio²⁰ — respondet ille.

Postero die rursus convenerunt. Alter ille hominem pultem²¹ inflantem reperit.

— Nunc quid inflas?

— Pultem, quae fervida est.

— I diirectum!²² Tu ex eodem foramine²³ frigus et calorem emittis?


V. F.

¹⁸tenyér ¹⁹fúj ²⁰melegít ²¹kása ²²vigyen el az ördög ²³lyuk.

Solutiones aenigmatum numeri III.

I. In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus autem caritas. — II. Mercurius, Corinthus, Thetis, Nomades, vicinia, Novensides, Gnosii. Sententia Horatii: Non cuivis homini contingit adire Corinthum. (Ep. 1. 17, 36.)

Aenigmata recte dissolverunt: Catharina Crouy, Georgius Donáth, Magdalena Fajcsek, Dionysius Herbst, Stephanus Lukács, Discipuli sextae classis gymn. reg. cath. Miskolciensis, Discipuli VII. classis gymn. reg. cath. Miskolciensis, Elmerus Nagy, Dalma Oberling, Eugenius Pálmay, Iulius Prókay, Marianna Renner, Paula Szilassy, Marianna Takács, Tiburtius Tihanyi, Desiderius Törley Tiberius Vass, Ioannes Wolkóber, Magdalena Zarka. — Praemium Magdalenae Fajcsek et Desiderio Törley sorte obvenit.



I.

a	a	a	a	a	b
b	d	d	e	e	e
e	e	e	e	e	h
h	h	h	i	i	i
l	n	o	o	o	o
p	p	p	r	r	r
r	s	s	s	s	s
t	u	u	u	u	x

- mare
- rex Calydonius
- insula in ora Cariae
- mater Agamemnonis
- oppidum Boeotiae
- fluvius Hispaniae
- coniunx Penelopes
- poetria Graeca

Litterae initiales deorsum lectae nomen reddunt poetae Romani.

II.

1.	a	a	a	a	a
2.	a	a	b	c	c
3.	c	d	d	d	e
4.	i	i	i	i	i
5.	l	n	n	o	o
6.	o	p	p	p	r
7.	r	r	r	s	s
8.	s	t	t	t	t
9.	t	u	u	u	u

Ex his litteris vocabula componantur, quorum singulae litterae in crassis quadratis collocatae nomen rerum scriptoris efficiant.

1. Una ex Musis, quae choreis praeest, 2. flumen Galliae Belgicae, hodie *le Doubs* appellatum, 3. populi sunt Germaniae prope Hercyniam silvam, 4. praepositio, idem quod *cis*, 5. fulcimentum illud, cui fores incumbunt et vertuntur, 6. animal muri simile, captum oculis, quod arva

et hortos suffodit, 7. casus, lapsus a *ruendo*, 8. puer parvulus et tenellus, 9. urbs Syriae in Phoenicia, in ora maris Mediterranei.

III.

- — — ber aliud pluviae nomen
- — — s ultima est linea rerum
- — — naquil uxor Tarquini Prisci
- — — ex omnibus verenda est
- — — us deorum antiquissimus
- — — sedum currus, quo in pugna utebantur
- — — egrinus alieni orbis homo
- — — ca alimentum
- — — strum prodigium, portentum
- — — iam coniunctio
- — — acreon Graecus poeta lyricus
- — — mmus pecunia signata
- — — mel una vice
- — — pa animal muri simile
- — — mius consul Romanus, qui Corintho excisa omnem Achaiam armis subegit
- — — stor qui rei alicui quaerendae praeest
- — — tor qui palam furatur
- — — er profectio, via
- — — rtus locus sepe clausus
- — — mus pars arboris
- — — do alio nomine Elissa
- — — urit edere cupit

Litterae vocabulorum, quae desiderantur, recte expletae et deorsum lectae sententiam Horatii reddunt notissimam.

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.
Budapest, I., Verpeléti-út 22.,
ad quem epistulae et manuscripta mittantur.
Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedicholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiszkolai Tanáregyesület költségén.
(Praeses: IOANNES KISPARTI DR., elnök.)